

D F N

1604





00  
1A  
0020

+





DISPUTATIO BIBLICA XXVI.  
De 34. 35. 36. Capitibus  
Geneseos, ad privatam συζήτηση  
proposita

à

SALOMONE GESNERO, S. S.  
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-  
fessore publico, in Academia  
Vitebergensi.

De qua

Die 15. Augusti Anno 1599. Deo auxiliante respondet

ALBERTVS REIMARVS  
Lubecensis.



VVITEBERGAE,  
Imprimebatur Typis Meißnerianis,  
M. D. XCIX.



Viris  
Magnificis, Clarissimis, Præstantissimis, I. V.  
Doctoribus eximijs;

D N. I A C O B O B O R D I N G O,  
Sereniss. Regis Daniæ &c. Consiliario fide-  
lissimo, Illustriss. Principis ac Domini Dn. V D A L R I C I Ducis  
Megapolitani &c. Cancellario meritissimo, L L. in Acade-  
mia Rostoch. olim Professore  
publico, Et.

D N. L A V R E N T I O M O L L E R O,  
eidem Principi Illustriss. in aula Gustavovi-  
ensi quondam à consilijs;

Vi &

Amplissimis Prudentissimisq; Viris,  
D N. P E T R O M A R T E N S,  
D N. H E N N I N G O P A R C H E M,  
augustæ Reipub. Lubecensis Senatori-  
bus dignissimis;

Dominis fautoribus & patronis suis omni re-  
verentiæ & obsequiorum genere perpetim  
honorandis

Hæcce Theologicarum quæstionum themata  
debitæ observantiæ atq; gratitudinis ergo

Summisse

D. D.

Consecrat

ALBERTVS REIMARVS  
Lubecensis.



## Caput XXXIV.

### THESIS I.

**H**istoriam de stupro Dina, quod in hoc capite recitatur, in tres partes distribuemus, ut principio de perdita Dinae virginitate, postea de fraudulenta filiorum Jacobi transactione, denique de crudeli vindicta differamus.

#### Quaestio prima de divagatione Dinae.

2. Quo pacto Dina Leah & Jacobi filia expatiata sit vers. 1. commemoratur. Siue id semel siue iterum atque iterum sit factum perinde est.

3. Etsi autem eius institutum hoc nomine excusari posse videtur, quod iter istud suscepit, non equidem ut filios sed ut filias terra videret.

4. Duabus tamen de causis merito accusatur. Vna est cupiditas, altera audacia: illam factum, ut ea, quae scire ipsius nihil intererat, cognoscere cuperet, cum <sup>dixisset</sup> potius esse deberet Tit. 2. 5. 1. Tim. 5. 13. alteram, ut sola vagaretur.

Dinah quia peccauerit

#### Quaestio secunda de facto Sichemi.

5. Cum enim Sichem filius Hemor Hivaei licentius eam videret, rapuit, & per vim stuprauit vers. 2. stupratam tamen non auersatus, sed blandis sibi verbis concilians, quod ad cor puellae loqui dicitur, vers. 3, patrem Hemorem rogat, ut illam sibi uxorem accipere liceat vers. 4.

Sichem Dinam vi opprimit.

6. Etsi autem varia in Sichemo contra quartum & sextum praeceptum decalogi peccata concurrunt, videmus tamen ethnicos à lumine naturae sciuisse, liberis non licere absque parentum consensu uxores ducere, quod Papales tenebra obscurare & extinguere conantur.

Consensus parentum.



ἡσερον πρῶ-  
τερον venerem.

7. Interim vitiosum est in Sicheimi consilio ἡσερον πρῶτερον  
quod virginem prius violat, & postea demum de patris consen-  
su sollicitus est. vers. 4.

Quæstio tertia, quid Hemor, Iacob & filij  
cuius de stupro senserint.

8. Iacob cum ex rumore illud factum percepisset, siluit, id  
est, pressit altum corde dolorem vers. 5. in novam tentationem  
ac crucem demersus.

Hemor lenis  
pater.

9. Hemor nimis blandus est pater, qui filium non obiurgat,  
non castigat, sed voluntati eius statim obsequens ad Iacobum  
egreditur. vers. 6. Quod autem Procopius existimat ipsum quoque  
Hemorum cum Dina concubuisse, nullâ ratione nititur.

10. Filij Jacobi rem indignè ferunt, ut par erat: ac in pri-  
mis dolent, istam labem familiae Israëlitica aspersam esse  
vers. 7.

11. Et hac quidem indignatione non peccant: siquidem ipse  
Dominus pro gravi scelere, quod morte vindicandum sit, decla-  
rat, si filia, dum est in domo paterna, scortetur Deut. 22. 21.

Scortatio  
Nebalah.

12. Peccatum scortationis nominatur Nebalah, quam vocem  
per stultitiam interpretantur, non quod leue aut contemnendum  
ac stoliditatis erratum censeatur, sed quod scriptura stultos nomi-  
nat impios Ps. 14. 1. & rectius ab Onkelo Kelanah, id est, igno-  
minia, fœditas, ac turpitudine vertitur, quam à grecis ἄσχημον.

An Dinae sit  
imputandum  
peccatum.

13. Cum Dina per vim fuerit oppressa, interrogatur, num  
ipsa quoque, an solus Sicheim, stuprator, peccati reus sit & cum Au-  
gustinus lib. 1. Ciuit. D. cap. 16 dicat, quod virtute & castitate  
inconcussa ac stabili permanente, quicquid aliud de corpore vel  
in corpore fecerit, præter culpam esse patientis.

14. Sed non mansit castitas in animo Dina inconcussa, cum  
scriptum sit, a iolefcentem illi ad cor loquutum esse, id est, per-  
suasisse, ut in flagitium consentiret, quemadmodum & Proco-  
pio





pio videtur, & cum ipsa procaciter, ut nimirum spectaret & spectaretur, diuagata sit, cumq; præterea Iacob dicat, eam esse contaminatam & pollutam.

Quæstio quarta, quid Hemor à Iacobo eiusq; filijs postulauerit.

15. Altera pars capituli narrat transactionem super stupro. Vbi primo videndum, quid Hemor postulet à Iacobo eiusq; filijs, & quid promittat.

16. Dinam nimirum filio suo Sichemo petit uxorem, suo quoq; calculo comprobans, coniugia, absq; parentum consensu, non esse ineunda vers. 8. Postulata  
Hemori &  
Sichemi.

17. Longius etiam progreditur, ut suæ gentis cum Israëlitis affinitatem perq; connubia copulationem querat vers. 9.

18. Et ad persuadendum commoda affert publica vers. 10. & Sichem adijcit priuata, dotis amplitudinem, vers. 11. 12.

19. Nominat autem donum Mohar, quam vocem Græci translulerunt φῆγλω, Hieronymus dotem. Sed Mohar aliàs est erepta virginitatis præmium, quod à scortatore datur, ut hoc loco & Ex. 22. 16. aliàs dos Ex. 22. 17. dos autem propriè id, quod ab uxore ad maritum adfertur, licet veteribus vsitatum fuerit, ut viri dotem darent non acciperent, ut quibusdam placet. Ambros. de offic.

Quæstio quinta de fallaci filiorum Iacobi transactione.

20. Ad hanc postulationem Hemori & Sichemi filij Iacobi, in primis Simeon & Levi, qui reliquos etiam seduxerunt, fraudulenter responderunt vers. 13. neq; ea fraus de prudentia & solertia exponi potest, ut Rabini volunt.

21. Summa enim responsionis est, quod annuere velint, si Sichemitæ se circumcidant. vers. 14. 15. 16. sin circumcisionem recusent, sororem se recepturos, vers. 17.



22. Ac quod in hac oratione dolus malus insit, ex eo liquet, quod multis modis contra primam & secundam tabulam decalogi delinquunt.

Peccata filiorum Jacobi.

23. Principio enim turpis est in ea nominis divini & religiosi sacramenti abusus, quod prostituunt iis, qui in vera religione non erant instituti: deinde promittunt, se cum Sichemitis conjugia inituros, cum nefas hoc esse patris & cui exemplo scirent: denique privata vindicta cupiditas animis ipsorum nimis insedit.

24. Mira verò esset minimeque laudanda Jacobi patris lenitas, vel senilis tarditas, si ad ista filiorum facinora conuiere potuisset: Itaque verò similis videtur, hac omnia clam parente gesta esse.

Quaestio Sexta, quo pacto Hemor ciuibus suis circumcisionem persuaserit.

25. Conditio verò à filijs Jacobi proposita Hemoro & Sichemo ilico placet, eo quod illum amor filij, hunc puellae impellit vers. 18. 19.

26. Magna verò est in utroque dementia, quod externum religionis Symbolum volunt accipere, cum religionem non intellegant, quodque in fraudem subditos suos Oratione utilitatis splendore comptam pertrahunt vers. 20. 21. 22.

Hemor plus spondet quam promissum erat.

27. Hemor insuper, cum ad ciues suos ait vers. 23. Greges eorum & substantia eorum & omnia iumenta eorum nonne nostra erunt? ultra pactionis formulam plus promittit, quam conuenerat: nisi quis dicat, eum de commercijs loqui non de dominio.

Sichemitarum delicta.

28. In ciuibus laudem mereri videtur obedientia erga Magistratum & hospitalitas erga peregrinos, sed profecto hanc laudem eis eripit auaritia, inque scortationem consensus, & denique in mutandam religionem temeritas. vers. 24.

29. Debe



29. Debebant enim dominis suis potius restitutionem puellae suasisse, aut de noua religione diligentius inquisuisse, suamque ante omnia, idololatriam abiicisse. Jer. 2. 11.

Quaestio septima de crudeli Leui & Simeonis facinore.

30. Quod dum non faciunt, sed spe lucri allecti caeco impetu feruntur, iusto Dei iudicio fit, ut digno afficiantur supplicio, de quo autem haec perpendenda sunt.

31. Principio quidem quod Moses de tempore ait, tertio die, dies critici. cum essent in dolore, indicat naturale hoc esse, ut vulnera & reliqui morbi diebus criticis grauius sentiantur.

32. Deinde quod ad autores facinoris attinet, nominantur duo fratres Dinae uterini Gen. 30. 21. Simeon & Leui, qui tamen alios quoque à Jacobi familia sibi adiunxerunt, ut patet è versu 27.

33. Tertio si queras unde opiliones arma tractare didicerint, responsio parata est, ab audacia & homicida illo diabolo Job. 8. Atqui cap. 33. 13. Iacob filios suos appellauit pueros teneros, quomodo iam armis idonei? Respondet Augustinus quaest. 108. tantum intercessisse temporis, ut Dina in maturam virginem & reliqui in viros adoleuerint.

34. Quarto si quis existimet Simeonem & Leui recte fecisse vindicando contumeliam familiae oblatam & tollendo idololatrias, ei respondetur, quod vindicta non ipsis sed Deo & legitimo Magistratui competat Deut. 32. Rom. 12. An Simeon & Leui recte fecerint,

35. Neque mandatum ipsis erat, ut impios homines opprimerent: & denique immanis est crudelitas, quod ob unius delictum bestiarum instar in totam urbem grassantur vers. 25. 26.

36. Accedit insuper depredatio non hostium sed hospitum, à quibus beneuole accepti fuerant vers. 27.

37. Distin-





Aliud est in eadem operatione Dei iudicium aliud hominis actio.

37. Distinguenda proinde in hoc actu est actio Dei & hominum. Ad homines quod attinet, cum ad hanc barbariem priuata vindicta cupiditate impellantur, cum dolose agant, cumque multis alijs modis peccent, ut ostensum est, idcirco Sichemita ab istis summa afficiuntur iniuria.

38. Verum si interim Dei consilium spectemus, qui scelerum atrocissimus vindex est, nulla Sichemita de iniuria conqueri possunt, cum suis illis peccatis, quae paulo ante sunt commemorata, tale supplicium promeruerint, & cum Deus in illis exemplum statuere voluerit, ut sciretur quam grande scelus sit puel- larum raptus: Impio proinde Iacobitarum zelo ad iustitiae suae gloriam bene usus est.

39. Ac quod hac Dei fuerit sententia è cap. 35. s. patebit, ubi scriptum est, Deum terrore vicinis incusso eos cohibuisse, ne Iacobum insequi auderent, sed Sichemitas diuinitus delictos esse statuerent.

#### Quaestio octaua de obiurgatione filiorum Iacobi.

40. Ideoque etiam sub finem capituli commemoratur, quid Iacob de hoc facinore senserit. Minimè enim approbavit, neque eius se connuendo participem facere voluit: sed Simeonem & Leui grauissimè obiurgauit parricidio illorum factum comparans. vers. 30.

41. Non enim Sichemitas solummodò interemptos sed se cum suis hostium furori traditos conqueritur.

iacob obiur-] 42. Etsi autem sui tantum periculi in reprehensione Iacobus gat filios. meminit, non etiam offense Dei & proximi, certum tamen est, illum in effectu perpetratae caedis, qui in oculos incurrebat, reliqua comprehendisse, eosque ad penitentiam cohortari voluisse, quae cum non sequeretur, damnauit eos postea, cum dixit: Maledictus furor eorum &c. Gen. 49. 7.

43. Ab



43. Ac quam sapienter patriarcha inter id, quod Dei & iustitia in hac actione erat, interq; crudelē Simeonis & Leui sanitiā distinxerit, ex eo liquet, quod Gen. 48. Sichemā Simeon & Leui tanquam possessoribus male fidei ereptā Iosepho legat, adeoq; omne dominij ius ab illis aufert, ut acquisitionem quoq; eius agrinequaquam illis, sed sibi ipsi adscribat; non tantum eam ob causam, quod suis copijs è familia clam eductis duces illi & latrones duo agrum obtinuerant, sed isto potissimum nomine, quod sanctissimus vir diuinum iudicium respexit

44. Aequum proinde & piū fuerat, filios suum delictum agnoscere & resipiscere: Verum illi proteruē responsant, suumq; factum pro iusto venditant vers. 31.

45. Atq; hæc quidem Moses de Dina, utrum autem Iobina an fuerit Iobi vxor, quod Philo, Rupertus & Rabini asserunt, prorsus incertum, cum nulla eius in biblijs extet mentio præterquam Gen. 46. 12. cum catalogo filiorum Iacobi, quibuscum in Aegyptum descendit, percensetur.

## Caput XXXV.

### THESIS I.



Vm Iacobus, ob perpetratum à filijs facinus, in summo esset fortunarum & vite periculo, ecce Dominus, qui auxilium & protectionem ipsi Gen. 28. 15. pollicitus fuerat, ὡς ἀπὸ μαχωνῆς apparet, siue manifesta visione, siue per somnium, & Iacobum migrare iubet. vers. 1.

2. Migrare autem Sichema debet Bethelē siue Luzam, ubi Dominus illi de cælo scale innixus promissionem ediderat, & ibi altare edificare, id est, docere, sacrificare, verumq; Deum recte colere.

3. Hinc videre est, quo pacto Deus suis in arumnis adeoq; mortis & inferni faucibus prestò sit Ps. 91. Ps. 56. 8.

B

4. Ac



Fuga.

4. Ac quod Jacobus non miraculo sed fuga tempestati impendenti subtrahitur ex eo colligitur fugam rectè iuxta Dei sententiam initam ipsi minimè displicere. Matth. 10. 23.

5. Et quod Deus de se in tertia persona loquitur, & ait, fac altare Deo, cum dicendum potius fuisset, fac altare mihi, ex eo patres mysterium S. Trinitatis probarunt. Hilar. l. 4. & 5.

Quæstio prima de abiectis idolis.

In periculis  
commoda  
ocasio ho-  
mines ad  
pœnitentiam  
hortandi.

6. Patriarcha hanc occasionem presentis periculi nactus gravissimam concione reformationem domesticæ suæ Ecclesiæ instituit, quam procul dubio hæctenus, rebus pacatis, sæpè frustra tentaverat. In angustijs enim requiritur Dominus. Es. 26. 16.

Ecclesiæ  
Iacobi.

7. Duo autè distinguuntur hominum genera, quæ erant cum Iacobo: unum est domesticorum, liberi nimirum, serui, ancille, uxores: alterum aduenarum & προσκλυτων, qui partim in Mesopotamia, partim Sichema illi sese adiunxerant. vers. 2.

8. In concione sua tria illis mandat, quæ ad veram pœnitentiam pertinent, primum est ut deos alienos abiectant, quos in medio ipsorum esse dicit.

Idololatriam  
modo adue-  
næ sed etiam  
domestici Iacobi  
laborant.

9. Si quis existimat, aduenas solummodo idololatriæ & superstitionibus deditos fuisse, ei obstat, quod idem mandatum patriarchæ familiæ quoque suæ promulgat, & utrumque ceterum arguit, quod deos alienos foueant.

10. Ex quo sequitur, Rachelem surreptorum idolorum contagio familiam Iacobi infecisse. Gen. 31. 32.

Ecclesiæ non  
omnino pura.

11. Atque hic facies Ecclesiæ omnium temporum depingitur, quæ pura quidem est ratione fidelium, multi tamen admixti sunt hypocritæ, multi etiam infirmi, & plurima zizania & scandala in doctrina inque vita: Matth. 13. 24. 1. Cor. 1. 11. & 31. 2. 4. & 5. 1. exemplum simile, 1. Sam. 7. 3. Ios. 24. 13. 14. 23.

Rachel per  
idola verum  
Deum coluit.

12. Etsi autem Rachel & domestici non ipsas statuas & simulacra coluerunt, ut ethnici, sed in illis & per illa verum Deum Israël: attamen Iacob eos arguit, quod deos alienos foueant, & idololatriæ peccato contaminati sint. 13. Ni-



13. Nihil itaq; Tridentinos patres iuuat, quod suas superstitiones hoc pacto excusant, cum aiunt: Imagines Christi, Deiparae virginis, & aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas eisq; debitum honorem & Venerationem impartendam: non quod credatur inesse aliqua in eis diuinitas vel virtus, propter quam sint colenda, vel quod ab eis aliquid sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant. Sed quoniam honores, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae ille representant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum ille similitudinem gerunt, veneremur. Hac illi.

Tridentinum concilium de cultu Imaginum.

14. Sed hac sophistica nihil omnino proficiunt. Nam Rachel non erat adeo stolidam, ut diuinitatem imaginibus inesse putaret, alioquin illas non infra se abiiecisset, ijsq; insedisset: Sed per imagines verum Deum adorabat: & nihilominus hic accusatur idololatrias. Et similia exempla Iud. 17. & 18. Exodi 32. in promptu sunt.

Deus non vult in imaginibus coli.

15. Deus enim non vult in imaginibus aut per eas coli; sicut lex aliquoties repetita clare docet Ex. 20. Leu. 26. Deut. 5. & 27. diuini numinis cultui nulla simulacra & opera hominum esse adhibenda. Act. 17. 25.

16. Licet imaginum vsus historiae & ornatus causa minime sit prohibitus: 2. Paralip. 3. 10.

Historicus vsus imaginum.

17. Alterum deinde, quod Iacob in ista visitatione & reformatione suae ecclesiae precipit, est mundatio, quae consistit in vera poenitentia Act. 15. 2. Cor. 7.

18. Deniq; vestes ab illis vult mutari, non quod illis detrahitis mens improba exuatur, aut Deus placetur, sed ut MET & VOICV & mentis salutarem mutationem externo Symbolo testarentur, ut Ninivita faciunt Jon. 3.

Vestrium mutatio...





19. Hoc edito mandato, quid porro facturum sit indicat, quod nimirum Luzam seu Bethalem Ecclesiam transferre & illic templum condere velit, vers. 3.

idola sub  
quercum de  
fossa.

20. Perpetuam verò laudem meretur Jacobi familia, quod concioni eius obtemperat, ipsiq; hero, omnis nimirum fraudis evitanda causa, non modo idola, sed etiam in aures, qua insignia & φυλακτῆρια, iuxta Augustinum, σκῆμα, iuxta Chrysostomum, erant idololatria, tradit vers. 5.

Calvinus  
carpit Jaco-  
bum.

21. Sicut etiam Jacobus Theraphim sub quercum propè Sichemam abscondens piè facit tum quod instrumenta idololatriæ remouet, & defodit, ne in hominum & solis aspectum veniant, tum quod hoc modo.

22. Et impudens profectò audacia est, quod Calvinus hoc loco querens, cur Jacobus idola defoderit, & non potius comminuerit, ut Moses vitulum Ex. 32. & Ezechias aneum serpentem 2. Reg. 18. ipse sibi respondet, **INFIRMITATI** patriarchæ tribuendum esse.

Jacobus idola  
ex animis re-  
mouet.

23. Quin potius Jacobus in modo reformationis id spectauit, ut idola non tam ex oculis quam è cordibus remouerentur, id quod etiam assecutus est, cum domestici libenter idola abiecerint. Cum enim ex animo illorum veneratio eiecta est, nihil offendit externus aspectus. Cum idolum nihil sit in mundo, sit autem aliquid opinione & veneratione hominum 1. Cor. 8. 4. Act. 27. & 17.

Calviniana  
reformatio.

24. Verùm Caluino hoc est propositum, ut Jacobi Reformationem iuxta Sacramentariorum, Anabaptistarum & ἱερονομασῶν deformationem, quam illi securibus non concionibus in templis lapideis & ligneis non in cordium sacellis exequuntur, reformatam velit.

Terror in-  
cussus vicinis.

25. Profectio deniq; Jacobi hoc pacto piè & prouidè instituta insigni ornatur miraculo, quod Deus, in cuius manibus sunt corda hominum, panicum pauorem vicinis urbibus, qua cladem-

Siche



Sichemitarum alioquin vindicatura erant, inquit, ut cum me-  
quant, à quo metuebantur. Rom. 8. 31.

### Quæstio secunda de profectioe Iacobi.

26. Quomodo porrò iter institutū successerit commemoratur  
vers. 6. quod nimirum Iacobus venerit in Luzam, qua est in ter-  
ra Canaan, ipse & uniuersus populus, nemine uiaelicet ab ho-  
stibus intercepto.

27. Et quòd ibi edificauerit altare, & nomen loci vocauerit  
El Bethel, Deus Bethel, ad insignem illam reuelationem Gen.

28. respiciens.

28. Aram extruit, ut externo hoc visibiliq; Symbolo osten-  
dat, se à gentiliū impietate alienum soli q; Deo uero addictum  
esse.

Altare Iacobī  
in Bethel.

29. Appellat eum locum El Bethel, non quod illi diuinita-  
tem tribuat, aut per ipsum colat Deum, sed isogonōq; quod De-  
us ibi apparuerat. Ex. 17.

El Bethel.

30. Cur autem geminata uoce El utitur, ut dicat, esse De-  
um domus Dei? nisi quod personam filij à persona Patris hoc pacto  
distinguere uult. Que etiam causa mox à Mose subditur; quia  
reuelati sunt illic ad eum Elohim.

S. Trinitas.

31. In qua oratione illud quoq; notandum, quod non sit perpe-  
tuum in scriptura, ut, quando sermo est, de uero Deo, plurali  
Elohim semper addatur singulare, sed quandoq; etiam iungitur  
plurale, ad pluralitatem personarū eo evidentius ostendendam.

Elohim de  
uero Deo ali-  
as cum singu-  
lari alias cum  
plurali iun-  
gitur.

Prioris phraseos exemplum est vers. 1. & dixit Elohim. Poste-  
rioris autem hic, ibi reuelati sunt Elohim, & Iosua 24. 19. non  
poteritis seruire Domino, quia Elohim, Kedoschim, dij sancti  
ipse. Dan 4. 6. unde concludimus Patres ueteris testamenti e-  
andem doctrinam de Sancta Trinitate nobiscum professos esse.

Gen. 20. 13.  
2. Sam. 7. 23.

32. Neq; succedit, quod Rabini hoc & Similibus testimo-  
nijs, ubi nomen Dei creaturis tribuitur Gen. 33: 20. Ex. 17. 14.  
Ezech. 48. 35. abutentes euincere conantur, idem nomen Dei

Nomen nē  
aliter Christo  
aliter creatu-  
ris tribuitur.



& Iehoue pari quoq; ratione & nuncupatiuè solummodo tribui Christo & s. 5. Ier. 23. & 33. & alijs in scriptura locis. Siquidem religiosa adorationis cultus, diuina omnipotentia & maiestas cum ceteris diuinae naturae ιδιωματα nusquam creaturis assignatur, Christo autem adscribitur.

Quæstio tertia de ijs, quæ in Bethel euenerunt.

Debora mortua. 33. Quid in Bethel Iacobo euenit deinceps sequitur. Et unum quidem est de obitu Debora, nutricis Rebecca, quam illa procul dubio vel in Mesopotamiam vel alioquin, dum Iacobus Sichema habitauit, ad eum miserat, iuxta promissum Gen. 27.

Alonbachuth. 34. Sepeliuit autem illam subter Bethel, id est, ad radices collis, cui ciuitas superstructa est, sub quercu, quam inde Alonbachuth, id est, quercum lamentationis nuncupauit. vers. 8.

Debora honor. 35. Vnde apparet habitam illam fuisse à Iacobo & eius familia instar auia, cum non modo funus eius multis lacrymis deploratum sed locus etiam sepulturae monumento insignitus fuerit.

36. Alterum quod Bethela accidit consolatio est luctui opposita, quod post priorem illam apparitionem Gen. 28. iam reduci Iacobo de Padan Aram iterum se Dominus in Bethel manifesta visione conspiciendum exhibet. vers. 9.

Israel. 37. Benedicit autem illi, ut ait Moses, & benedictionis membra sunt quatuor. Primò enim nomen Iacobi, quod ab utero acceperat, ob fratrem supplantatum Gen. 25. commutat in Israël, cuius ratio Gen. 32. 29. est exposita.

38. Deinde Deus se à fictitijs gentium idolis separans Deum schaddei, siue omnipotentem siue αὐτεξόσιον & αὐταρκῆν nominat vers. 11.

39. Tertiò



39. Tertiò multiplicationem generis promittit vers. 11, ac **Goim.**  
cum ait: *Goer vekohel goym, id est, gentes & catus gentiũ erit ex  
te, inde liquet, Iudeos quosq, nomine Goim comprehendendi, nisi e  
Jacobo originem suam esse negent, & proinde insulse illos hãc  
appellatione incircumcisos per contumeliam notare.*

40. Postremò terram denuò spondet vers. 12. hisq, peractis  
ascendit ab eo Deus non locum mutans sed reuelationem finiens.  
vers. 13. Iacobus autem locum erectã statuã notat vers 14. 15.

#### Quaestio quarta de alia profectioe Iacobi Bethlehemam & ad Isaacum patrem.

41. His Bethelã transactis, Iacobus ad patrem suum **Isaacum** iter suscipit: In eo verò itinere duo illi eueniunt longè a- **Bethlehem**  
**Ephrata.**  
cerbissima. Primò enim uxor charissima, **RACHEL**, in partu  
occumbit, prope Bethlehem, quæ alio nomine Ephrata dicitur  
vers. 16. 17. Bethlehem habitatio panis, Ephrata fertile solum  
est.

42. Fuit autem hic luctus praludium **Βεφοκτοβιας** Herodi-  
anae Matth. 2. 17.

43. Calamitati interim Deus solatium admiscet, quod filius,  
quem illa peperit, seruatur, quem mater à dolore Benoni, id est,  
filium doloris, Iacob autem non tam crucis acerbisatem, quàm **Beniamin.**  
Dei gratiam & fauorem considerans **Beniaminum**, id est, filium  
dextra nominat, vers. 18.

44. Mortuam Iacobus non secum Hebronem deportat ad pa-  
ternum sepulcrum, ubi Rebecca & Leah iacent, adeo procul ab-  
est à superstitione, sed ibidem sepultura mandat in via, qua E-  
phratam itur. vers. 19, & statuam ad tumulum eius erigit. vers.

20.

45. Hinc ulterius progressus **Israël** tetendit tabernaculum **Migdal Eder,**  
suum trans Migdal Heder. vers. 21. Est autem Migdal turris &  
Heder grex. **46. Vnde**



46. Vnde haud obscure colligitur, ciues Ephratenses greges suos non in ciuitate aluisse, sed apud hanc turrim pastoribus traditam. Quare verisimile est pastoribus in campo prope istam turrim excubantibus factam fuisse angelicam illam in natiuitate Christi reuelationem Luc. 2. 8. Hieron: templum ibi fuisse extractum perhibet.

Cibrath.

47. De hebraea voce Cibrath vers. 16. varie sunt sententiae. Nam septuaginta interpretes retinent vocabulum hebraicum & videntur ex eo proprium loci Chebrathah facere: Licet ydem id ipsum Gen. 48. 7. per ἰπποδρόμου reddant, quo quid velint nescit Hieronymus, & quis diuinando assequeretur? Hieronymus de verno seu electo anni tempore exponit: alij aliter. Sed è libro 2. Reg. 5. 19. clarum est, quod significet spacium via: ideoq; omnium rectissime Onkelus hoc loco & Gen. 48. & 2. Reg. 5. de miliari accipit, quod Chaldaei alias מיל Mil, alias כרוב Cerub nominant.

Ruben cum  
Bilhah con-  
cumbit.

48. Alterum vulnus priore acerbius est, quod Ruben incestum cum Bilha uxore patris committit: vers. 22. sublata enim reatrice disciplina domestica Debora, & matrefamilias Rachele, licentius viuit ancilla Rachelis Bilha, tantaq; isti contumelia Israëliticam ecclesiam afficiunt.

49. Rabini proinde ad prodigium vani sunt, qui, ut maiorum suorum laudem quacunq; etiam ratione aucupentur, minime erubescunt negare Bilham carnaliter à Rubeno cognitam, sed letulum saltem eius è cubiculo Leah, ubi Iacobus eum posuerat, translatum fuisse. Sed Iacobus Gen. 49. 4. torum suum ab eo maculatum esse serio conqueritur, eamq; ob causam sacerdotali dignitate, quae ipsi, ut primogenito, debebatur, eum spoliatur. Idemq; 1. Par. 1. scribitur.

Scandala in  
Ecclesia.

50. Et talibus scandalis nunquam caret Ecclesia 1. Cor. 5. 1. ne sanctos Dei homines ἀναμαρτῆτες fuisse opinemur Psal. 32. ne in peccata prolapsi desperent, neue cum Catharis & Nouatianis gratiam & misericordiam Dei penitentibus denequemus. Rom. 5. 20. Postre-



Postrema quæstio de catalogo filiorum Iacobi deq; obitu Isaaci.

51. Cum numerus filiorum Iacobi modo sit completus, & *Causa catalo- gi tres.*  
Moses genealogiam filiorum Esau capite sequente recitare velit, idcirco denuo hic texitur catalogus stirpis Iſraëlitica, ne cum Edomitica confundatur vers. 22. 23. 24. 25.
52. Quod autem de omnibus dicitur, eos in Padan Haran *Synecdoche scriptura.*  
esse natos, cum Benjamin in terra Chanaan editus fuerit, per usitatum synecdochem explicari debet, cum de toto enunciatur, quod maxime partis est. vers. 26. sicut Apostolus 1. Cor. 15. 6. ait, Christum apparuisse τοῖς δώδεκα, id est, illis duodecim apostolis, cum tamen Judas numero defuerit, & Christus Joam. 6. 70. nonne ego vos duodecim elegi, cum tamen Iudam se non elegisse Ioh. 13. 18. ipsemet perspicue testetur. Augustin: quæst. 117.
53. Tandem verò Iacobus, post peregrinationem 43. annorum, quibus partim in Padan Aram partim in terra Chanaan *Isaac non in Berseba sed in Hebrone habitabat.*  
versatus est, ad patrem suum Iſaacum, non iam amplius in Bersebah, ut supra Gen. 28. sed in Mambreh ciuitate Arbah, que est Hebron, habitantem reuertitur versu: 27.
54. Cur & quando Iſaac huc commigrauerit non exprimitur, forte ut minore negotio ibi cum uxore Rebecca sepeliri & ad maiorum tumulos μελέδμημα δαυείας haberet Gen. 49. 31.
55. Aduentum autem Iacobi aliquot interiectis annis, de quibus Gen. 37. 37. dicitur, excipit patris Iſaaci obitus, qui annos natus 180. mortuus est senex & satur dierum, & à duobus filijs, Iacobo & Esau sepultus vers. 28. 29.
56. Hic tamen eius obitus ut & historia capitis 36. 37. 38. *Mors Iſaaci per ὕσερον commemorata.*  
39. per ὕσερον ἠγορεύου commemoratur, cum Iosepho in Agyptum per ὕσερον vendito ad huc super fuerit annis XII, ut patebit. Gen. 37. 37. γίαν commemorata.

Caput XXXVI.

THESIS I.

ε

Hoo







Hoc capite exponitur, 1. quæ fuerint Esau uxores, & filij, 2. eiusdem in montana Schir migratio, 3. duces & principes Edomitica gentis, 4. capita Horæorum.

Quæstio prima de vxoribus & filijs Esau.

Esau habet tres vxores.

2. Fuit autem Esau trigamus, trium vxorum vir. Vna hic appellatur Hada, filia Elonis Chittæi, quæ supra Gen. 26. 34. nominata fuit Basmath: altera est Abalibama, filia Hane, & neptis Zihonis Hiuæi, ea verò supra cap. 26. 34. vocata fuit Iuditha, filia Beeri Chittæi: tertia deniq; est Basmath filia Ismaëlis, quæ Gen. 28. 9. nomen Mahalatha habuit. Vnde apparet tum ipsas tum eorum patres binomines fuisse sicut 1. Reg. 15. 2. & 2. Par. 13. 2. ac quod Beeri antea fuit Hiuæus, nunc autem Chitæus, quæ diuersæ sunt gentes, Gen. 10. 15. Ex. 3. 8, ideo factum est, quod intra Chittæorum fines Hiuæi habitauerunt.

Hiuæi & Chittæi.

3. Ex tribus istis vxoribus filij nati quinque, vers. 4. 5. commemorantur, ut & 1. Par. 1. 35. 36. & c. Ex Adah est Eliphaz, quem nonnulli putant eum esse, cuius in historia Iobi cap. 4. & 15. fit mentio, quod suo loco relinquimus.

Cur genealogia Esau hic ponatur.

4. Cause quod historiae sanctorum patrum inseritur genealogia Edomitærum et Horæorum tres apparent, principio quod multi ex his quoq; gentibus ad Ecclesiam accesserunt, deinde quod Moyses indicare voluit, benedictionem Isaci Gen. 27. 42. non fuisse irritam, deniq; ut Edomitas perpetuos Ecclesie hostes tantò crudeliores fuisse constaret, quo propinquiores fuerunt Israëlitis. Quin etiam hæc commemoratio honorifica quasi sepultura est Esau et mundana eius glorie 1. Cor. 7. 31. 1. Ioh. 2. 15.

Quæstio secunda de migratione Esau in montes Schir.

5. Antequam catalogus nepotum Esau subiungatur, inseritur narratio migrationis Esau de terra Chanaa in montes Schir. v. 6. 7. 8.

6. Causa migrationis indicatur amplitudo opum, quæ in gregibus erat, & angustia, non quidem ipsius terre Chanaan, sed loci





loci illius in ea, quae ab incolis Isaaco concessa erat. Nec verisimile est Esauum hac migratione fratris sui sed proprijs rebus consulere voluisse. Interim Deus utriusq; posteritati prospicit, Iacobi quidem, ne promissa ipsi terra à fratre occuparetur, Esau, ne cum Chananæis postea excinderentur, quod ipse indicat Deut. 2. 4.

7. Abit autem in terram Sehir, quam hebraei à faunis ibi diuagantibus sic nuncupatã volunt, cum sehirim sint pilosi Es. 13. 21. Sehir faunus, pilosus.

8. In tempore migrationis anticipatio est, de qua supra dictum cap. 35. Thesi 55. & prolixè de ea Augustinus 119. quest.

9. Hoc expedito pertexitur genealogia Esau & quos ille de quinq; filijs nepotes habuerit, vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. exponitur, quorum nomina cum catalogo 1. Par. 1. sunt conferenda. A Thema- Ἰσεγον νεότερον  
Ἰσεγον  
no, regio Theman celebris est Iere. 49. 7. ab Amaleco descendunt Amaleciti Num. 14. 20.

10. Quod autem vers. 9. Esau pater Edom vocatur, non eò fit, quod alius esset Edom, quàm Esau, sed quod Edom hic collectiue pro gente accipitur. Cum igitur Idumæi in montibus Seir habitantes ex Esauo sint orti, insignis est Iudeorum petulantia, quod Romanos & Christianos per calumniam Idumæos vocitare solent. Esau pater Edom.

11. Quod Ahalibamah vers. 14. filia Ana & Sibhon vocatur, non fit eam ob causam, quam impudentes Rabini comminiscuntur quasi Sibhon filium Ana ex incestuoso cum matre, Sehiris uxore, conubitu, & ex Ane uxore, quae ipsius nurus, Ahalibamam susceperit: Sed quod vsitatum est neptes quoq; auorum & auiarum filias appellare. Idumæi non sunt Romani.

12. Catalogo natiuitatis subiicitur procerum seu principum inter Idumæos commemoratio vers. 15. 16. 17. 18. 19.

13. Vbi inter filios Eliphazi numeratur Corat, cuius nominis supra vers. 5. & 14. filium Esau ex Ahalibamah fuisse audiuimus. Sed hic proculdubio est alius eodem nomine vocatus. Ahalibama filia Ana & Sibhone

14. Ducem hebraei vocant Aleph, ab Eleph, quod mille significat: unde patet, quod Matthæus cap. 20. Bethlehem rectè dixerit Aleph dux.



non esse minimam inter principes Iuda, cum Michas 5. 2. de es-  
se loquutus sit, quod non esset minima in millibus Iuda: Idem enim  
utriusque sensus est.

#### Quarta quaestio de Horæis.

15. Quia Esau in terram Seir commigravit, cuius incolae anti-  
quitas fuerunt Horæi, de quibus illa gente Abolibamam habuit uxorem,  
idcirco hac eius affinitas quoque describitur, vers. 20. 21. 22. 23.  
24. 25. 26. 27. 28. unde autem stirpem ducant Horæi incertum,  
nisi quod ab orientis regibus casi perhibentur Gen. 14. 6.

Hana inuen-  
tor mulorum  
sive stagno-  
rum

16. Inter reliquos nominatur Hanah, de qua eo dicitur v. 24.  
quod in deserto inuenerit lemim, cum pasceret asinas Sibhon pa-  
tris sui. Eam vocem Septuaginta, Theodotion, Aquila & Symma-  
chus non sunt interpretati. Hieronymus hesitat, utrum  
stagna, an thernas, vel onagros, vel mulos denotet; Thargu-  
mici interpretes de feda asinorum & equarum admixtura,  
è qua muli generantur, ut & D. Lutherus in germanicâ versio-  
ne, licet in commentario potius de stagnis accipi velit, tum quod  
ijs in locis magno precio habita, tum quod vox iisdem literis con-  
stet, quibus maria notantur.

Vide disp.  
bibl. 7. th. 38.

Horæi affines  
Esau.

17. Affinitatis autem ratio, qua Horæi iuncti fuerunt Esauo v. 25, exprimi-  
tur, quod Abolibama filia Hanae fuit uxor Esau. Hana verò iste non est Haiemim in-  
uentor, de quo proxime, vers. 24, sed filius Seir, de quo vers. 20.

Iob.

18. Postremò commemorantur in hoc catalogo septem duces Horæorum vers.  
29. 30. & reges octo vers. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. inter  
quos secundo loco ponitur Iobab, quem nonnulli putant esse Iobum, de qua opinione  
alibi dictum est. Vide Augustin. lib. 18. Ciu. 47. Theodor. quest. 92. Origen. in Iob.  
denique verò loca & prouincia ducibus attribuuntur vers. 40. 41. 42.

19. Atque ita Edomitæ vel oppressis vel eiectis veteribus terræ Seir sive Arabiae  
Petrae incolis ipsi principatum obtinuerunt.

20. Inter ducatus penultimò recensetur Magdiel, quod nomen Rabini Ducis  
esse contendunt, à quo Romanos originem habere fabulantur.

Romanorum  
origo.

21. Sed Romanos à Cethim Iauantis filio Gen. 10. 4. venire probabilius est.  
Siquidem non modò Berofus id affirmat, sed interpretes quoque vocem Cithim de Ro-  
manis exponunt, Dan. 11. 30. Num. 24. 24. Ezech. 27. 6.

FINIS.



AB

52

9  
549

ULB Halle 3  
003 140 237



sb.


Wort











12

IO BIBLICA XXVI.  
5. 36. Capitibus  
s, ad privatam συζητησιμ  
proposita

à  
NE GESNERO, S. S.  
DOCTORE ET PRO-  
publico, in Academia  
Vitebergensi.

De qua  
anno 1599. Deo auxiliante respondebit

V S R E I M A R V S  
Lubecensis.



T E B E R G A E,  
r Typis Meißnerianis,  
D. XCIX.

